

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Mulier g
cum fontibus primis

Viduarum ac uirginum domos nisi uisitandi gracia iuniores adire non est opus, et hoc cum senioribus, hoc est cum episcopo, uel si grauior causa est cum presbytero. Quid necesse ut demus secularibus obtrectandi locum?

Quod si aliqua illarum forte labitur, cur alieni lapsus subeas inuidiam?

Quanti non dederunt errori locum et dederunt suspicioni?

Prima temptamenta clericorum sunt feminarum frequentes accessus; iste sexus reprehensibiles exhibet clericos.

Ambrosius libro I. de officiis.

Viduarum ac uirginum domos nisi uisitandi gracia, iuniores adire non est opus, et hoc cum senioribus, hoc est cum episcopo, uel si grauior est causa, cum presbyteris. Quid necesse est ut demus saecularibus obtrectandi locum? Quid opus est ut illae quoque uisitationes crebrae accipiant auctoritatem?
Quid si aliqua illarum forte labatur? Cur alieni lapsus subeas inuidiam? Quam multos etiam fortes illecebra decepit!
Quanti non dederunt errori locum et dederunt suspicioni!

Ambrosius Mediolanensis, *De officiis*, 1, 20, 87 (CCSL 15, M. Testard ed., pp.32-3, ll.18-25).

Praecipue illud reor attentius tibi esse providendum: quia prima tentamenta sunt clericorum, mulierum frequentes accessus. Iste sexus reprehensibiles exhibet clericos.

Auctor incertus (Hieronymus Stridonensis?), *Epistola de uita clericorum*, 2 (PL 30, col.288D).